



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avreus Adversus profanas Hæreseōn novationes**

**Vincentius <Lerinensis>**

**Coloniae, 1652**

Qui resistendum sit fallacijs diaboli & discipulorum eius, dum scripturas  
allegant Caput XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55177)

*Qui resistendum sit fallacijs diaboli  
discipulorum eius, dum scrip-  
turas allegant*

## CAPUT XXXVIII.

**S**ed dicet aliquis: Sed divinis do-  
cuijs, sententijs, promissionibus  
& diabolus, & discipuli eius uten-  
tur, quorum alij sunt Pseudoaposto-  
li & Pseudoprophetae, & Pseudoma-  
gistri & omnes ex toto haeretici, quid  
facient Catholici homines, & membra  
Ecclesie filii? quoniam modo in scrip-  
turis sanctis veritatem a falsitate  
discernent? Hoc scilicet facere mag-  
nopere curabunt, quod in principio  
Commonitorij istius sanctos & do-  
ctos viros nobis tradidisse scripsi-  
mus: ut divinum canonem secu-  
dum universalis Ecclesie traditio-  
nes, & juxta Catholici dogmatis re-  
gulas interpretentur. In qua item  
Catholicæ Apostolicæq; Ecclesie se-  
quantur necesse est Universalitatem,  
Antiquitatem, Consensionem. Et si  
quando pars contra universalitatem,  
novitas

novitas contra vetustatem, unius  
vel paucorum errantium dissensio  
contra omnium vel certè multo  
plurium Catholicorum consensio-  
nem rebellaverit, præferant partis  
corruptioni Universitatis integri-  
tatem, in qua eadem universitate,  
novitatis prophanitati antiquitatis  
religionem itemque in ipsa vetusta-  
te, unius sive paucissimorum teme-  
ritati, primùm omnium generalia,  
si qua sunt, universalis Concilii de-  
creta proponant: Tunc deinde, si id-  
minus est, sequantur quod proxi-  
mum est, multorum atque magno-  
rum consentientes sibi sententias  
Magistrorum: quibus adjuvante Do-  
mino fideliter, sobriè, sollicitè ob-  
servatis, non magna difficultate no-  
xios quosque exsurgentium hæ-  
reticorum deprehende-  
mus errores.